UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 582. Pelagii Pap. II. Annus 5. Tiberii Imp. Annus 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

præfectura, quæ ab eodem S. Gregorio deſcripta ſunt, videamus.

XII. Ipſe enim ſuperius in ſecundo Dialogorum libro *a*, nō vnius tantum monaſterij, ſed multorum S. Equitium fuiſſe Abbatem affirmat. ſunt enim hæc ipſius verba: *Equitius præ ſua magnitudine ſanctitatis multorum in ea prouincia* Valeria ſcilicet, *monaſteriorum, pater extitit*. Hæc cum ita ſint, quomodo ſub S. Benedicto Abbate (ſi temporis ratio ferret) redigendus Equitius eſt, qui in diuerſa prouincia iam Abbas multorum monaſteriorum eſſet, nemini ſubiectus præterquam ſummo Pontifici, cum conſtet duodecim illis monaſteriis à S. Benedicto ædificatis (vt idem teſtatur *b* S. Gregorius) ſingulis ſingulos eſſe præfectos Abbates, nec alium quempiam, niſi ipſum Benedictum vniuerſalem curam omnium habuiſſe? Sic igitur tot earúdem S. Gregorij aſſertionibus (quibus non acquieſcere nefas) non eſt, qui negare iure poſſit, S. Benedicti & S. Equitij diuerſas inter ſe atque diſtinctas fuiſſe, collectiones monachorum; ex S. Equitij vero claſſe propagitos fuiſſe S. Gregorij monaſterij monachos, ex ſancti vero Benedicti, quod diximus, Lateranenſes. Vincat veritas, priuata faceſſat affectio. Sed de his modo ſatis ad explodendam Ioannis diaconi ſententiam de ſancti Gregorij diaconatu ſub Benedicto Papa, quem contigiſſe potius ſub eius ſucceſſore Pelagio Iuniore certis aſſertionibus ſuo loco dicturi ſumus.

a Greg. dialog. l. 2. c. 3. in fin.

b Greg. dialog. l. 1. c. 4.

XIII. Eodem quoque anno defuncto Ioanne Epiſcopo Alexandrino, cum ſediſſet annos vndecim, in locum eius ſuffectus eſt S. Eulogius, qui ſedit annis viginti ſeptem hæc ex Nicephori Chronico: de eodem Euagrius *c*, & alij. Hic ille Eulogius, de quo ſæpe in Epiſtolis ſuis meminit ſanct. Gregorius Papa: ſed de eo plura inferius pro temporis ratione dicturi ſumus. Illuxit Deus tandem, vt Ægypti tenebras ab hæreticis eam inuadentibus ſedem olim offuſas, tanti electi Epiſcopi ſplendore fugaret, qui cum Orthodoxa fide polleret, ſanctæ vitæ quoque meritis coruſcaret.

c Euag. lib. 5. c. 10.

XIV. Sed iam res Francorum, quæ ad Eccleſiaſticam ſpectant hiſtoriam, proſequamur. langueſcerent plane his temporibus Annales inopia, niſi ex rebus Francicis ſuppeditaretur annis ferme ſingulis argumentum. Hoc igitur anno, qui Childeberti filij Sigeberti Regis numeratur tertius, Guntheramni vero Regis ipſius patrui decimusſeptimus, inquit Gregorius Turonenſis: *Dacco nobilis Dux inſidiis Dracoleni Ducis captus, cum occidendus eſſet, vocato presbytero, ab eodem pænitentiam petijt, qua accepta interfectus eſt*. vigebat in Eccleſia pius vſus, vt abſque peccatorum remiſſione à Deo per ſacerdotem accepta, nemo ex hac vita migraret. At homicida ipſe eſt paſſus, quod fecit: ſuperbus enim & arrogans à Guntheramno Bolone, inuocato nomine Domini & virtute S. Martini, occiſus eſt. rem geſtam narrat Gregorius *d*, qui de eodem Guntheramno iterum ope ſancti Martini à naufragio liberato hæc ait *e*: *Quadam die dum Guntheramnus Boſo contra vicum Ambianenſem Ligerim fluuium transfinearet, ac irruentibus tenebris, mūdum nox horribilis retineret: ſubito aduerſante vento nauta turbantur in pelago, ſeparatiſque nauibus, quæ pontem illum ſuſtinebant, & aqua vſque ad ſummum repletis, deſcendunt cuncti vſque ad cingulum cum ipſis nauibus in profundum, nequaquam tamen nauibus ſubductis à pedibus. Exterritiſque omnibus Boſo non raucè vociferans, B. Martini auxilium implorabat, & vt eis ad liberandum feſtinus occurreret, precabatur, dicens fidenter ſuis: Nolite timere: ſcio enim, quod dextera ſancti viri ad auxilium porrigendum maximè in neceſſitatibus ſit parata. Hoc eo dicente, directæ abeo nauibus, mutatoque vento contrario in ſecundum, nulla pereunte peruenit ad littus, vbi eum præſens occurrit beati confeſſoris ſuffragium, vt etiam argentum, quod rapiente fluuio perdiderant, denuo fluuio in littus reſtituente, reciperent*. hæc de Boſone Gregorius.

d Greg. Tur. hiſt. l. 5. c. 25.

e Greg. Tur. mirac. S. Mart. l. 2. cap. 17.

Ad eundem Boſonem extat Venantij Fortunati carmen *f*, quod incipit:

f Fortun. carm. l. 7.

Sic tegat omnipotens radiantia culmina Regis,
Atque eius cauſas arma ſuperna regant.

& inferius illud, cum ipſi bene precatur his verſibus:

Sic placido Regi ſummus pius auctor ab alto,
Qui dedit ante Petro, porrigat ipſe manum,

exauditum fuiſſe vidiſti.

IESV CHRISTI
Annus 582.

Pelagii Pap. II. Annus 5. — Tiberii Imp. Annus 1.

I. Mortis Iuſtini, Tiberii imperat. QVingenteſimo octogeſimo ſecundo Redemptoris anno, Indictionis decimæquintæ, Iuſtinus Imper. poſt annos in Imperio ſexdecim, menſeſq; nouem cum dimidio exactos ex hac vita recedit menſe Auguſto, vt teſtatur Euagrius; Tiberiuſque ſolus imperat, tenuitque annos quatuor. Quid autem proxime obiturus Iuſtinus Imper. ad Tiberium conuerſus dixerit, aſtante Senatu & Eutychio Patriarcha, à Cedreno atque Miſcella *g* recitatur his verbis:

g Miſcella.

II. Quæ Iuſtinus proxime moriturus ad Tiberium. *Ecce Deus, qui benefacit tibi; hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum, vt tu quoque honoreris ab illo. Honora matrem tuam* (Sophiam Auguſtam intelligens) *quæ aliquando domina tua fuit. Noſti, quod primum ſeruus eius fueris, nunc autem filius. Non grataberis in ſanguinibus, nec communicæs homicidio, nec malum pro malo reddas, ne in malo inimicitia ſimilis mihi efficiaris. Ego enim vt homo culpaui: etenim culpabilis factus ſum, & recepi ſecundum peccata mea; ſed cauſam habeo cum his, qui hoc mihi fecerunt, ante tribunal Christi. Nec eleuet te habitus, quemadmodum me. Sic attende omnibus, ſicut tibi. Scito quis fueris, & quis modo exiſtas. Ne ſuperbias, & non peccabis. Noſti quis fuerim & quis factus ſim, extiterim & exiſtam. Omnes iſti filij tui ſunt & ſerui. Scis quod pro viſceribus meis honorauerim te. Hos tu cum videas omnes, quæ Reipubl. ſunt vides. Exercitus curam geras: moles & imprudentes ne proficias; neque eo tibi perſuadeant, quod priores te tales Imperatores fuiſſe dicunt. Hæc tibi præcipio, neque edoctus malo, hortor, vt tu ſies. Qui habent ſubſtantias, fruantur eis: his vero, qui non habent, dona. Et facta oratione à Patriarcha, cum dixiſſent omnes, Amen: cecidit Cæſar ad pedes Imperatoris, & dixit ei: Si vis, ſum: ſi non vis, non viuam.* Et Imperator: *Deus, ait, qui fecit cælum & terram, ipſe omnia, quæ dicere oblitus ſum, in cor tuum mittat. Porro dum hæc proſequeretur Imperator, replebat lacrymis totum collegium*. hæc ibi eadem fere cuncta Cedrenus, ex quo & aliqua emendanda ſunt; qui & hæc his addit: *Cæterum morbo ingrauaſcente, haud multo poſt vitam concluſit. Corpus vero in Heroo Iuſtiniani depoſitum eſt in arca Proconneſia, iuxtaque Sophia vxor eius*. at hæc poſtea. Quod ſpectat ad Iuſtini mores, hæc item in Miſcella: *Hic Iuſtinus in initio Imperij ſui bonus fuit, poſt in omnem auaritiam incidit, contemptor pauperum, Senatorum ſpoliator: cui tanta cupiditatis fuit rabies, vt arcas iuberet ferreas fieri, in quibus quæcumque rapiebat, auri talenta congregaret*. Porro ipſum etiam in hæreſim Pelagianam illapſum tradit Gregorius; quod tamen minime receptum eſſe videtur.

III. De coronatione Tiberii Imp. De coronatione Tiberij Auguſti hæc idem Gregorius Turonenſis *h*: *Cum eum ſecundum conſuetudinem loci ad ſpectaculum Circi præſtolaretur populus proceſſurum, parare excogitans pro parte Iuſtiniani inſidias, qui tunc nepos Iuſtini habebatur: ille per loca ſancta proceſſit: completaq; oratione, vocato ad ſe vrbis Papa cum Conſulibus ac Præfectis, Palatium eſt ingreſſus. De hinc indutus purpura, diademate coronatus, throno Imperiali impoſitus, cum immenſis laudibus Imperium confirmauit. Factionarij quoque opperientes ad Circum, cum cognouiſſent, quæ facta fuerant, pudore confuſi, fine effectu regreſſi ſunt, nihil hominis, qui in Deo ſpem poſuerat, aduerſari valentes. Tranſactis autem paucis diebus, adueniens Iuſtinianus, pedibus ſe proiecit Imperatoris, quindecim ei centenaria deferens ob meritum gratiæ: quem ille ſecundum patientiæ ſuæ ritum colligens, in Palatium iuſſit aſſiſtere.*

h Greg. hiſt. Franc. l. 5. cap. 30.

VI. At quid poſt hæc? ſubdit auctor: *Sophia vero immemor promiſſionis, quam quondam in Tiberium habuerat, inſidias ei tendere molitur. Procedente autem eo ad villam, vt iuxta ritum imperialem triginta diebus iocundaretur ad vindemiam, vocato clam Iuſtiniano Sophia, voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tiberius curſu veloci ad Conſtantinopolitanam regreditur vrbem, apprehenſamque Auguſtam omnibus theſauris ſpoliauit, ſolum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatiſque pueris eius ab ea, alios poſuit de fidelibus ſuis: mandauitque prorſus, vt nullus de anterioribus ad eam haberet acceſſum. Iuſtinianum vero obiurgatum tanto in poſterum amore dilexit, vt filio eius filiam ſuam promitteret, rurſumque filio ſuo ſi eius filiam expeteret, ſed res non eſt ſortita effectum. Exercitus eius Perſas debellauit, victorque regreſſus, tantam molem prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ poſſe ſufficere: viginti elephanti capti ad imperatorem adducti ſunt.* hæc Gregorius: eadem & Paulus diaconus d; quæ & in Miſcella e leguntur. Sed eos puto errare in his quæ ſcribunt de victoria Iuſtiniani Ducis contra Perſas obtenta; quæ (vt vidimus ex Euagrio) facta ſunt, cum Tiberius, viuente adhuc Iuſtino, ante tres annos regnare cœpiſſet. Cæterum eo defuncto, Iuſtinianum Ducem honore fuiſſe ſpoliatum, ſcribit Euagrius f, eo quod non tam feliciter, atque antea contra barbaros depugnaſſet: inque eius locum ſubrogatum tradit Mauritium, qui & genus & nomen traxerat ab antiqua Roma, licet Arabiſſo Cappadociæ ciuitate oriundus eſſet, de quo paulo inferius plura ſumus dicturi.

Sed manifeſtemus cauſam, cur Sophia Auguſta Tiberium poſt viri obitum auerſata eſt: primumque audiamus, quæ de ea Zonaras ita habet g: *Tiberius ab Eutychio Patriarcha coronatus, vxorem quoque ſuam Anaſtaſiam Auguſtam ſalutauit, quæ duas ei filias pepererat, Charitonem & Conſtantiam. Sophia vero Iuſtini vidua, relicta aula, in regiam ſibi cognominem migrauit, regio comitatu ei à Tiberio tanquam matri attributo.* hæc Zonaras. Subdit his Cedrenus, indignatam nonnihil Sophiam noua manifeſtatione Anaſtaſiæ coniugis, quam cum ignoraſſet illa fuiſſe Tiberio vxorem, quo poſt obitum ei nuberet, virum fuerat cohortata, vt Tiberium Cæſarem diceret. Addit inſuper de Tiberio hæc verba. *Huic in ſomnis Angelus prædixit nomine S. Trinitatis tyrannos, ipſo imperante, Imperium non inuaſuros,* hactenus ille. Miſſos autem à diuerſis regionibus legatos ad Tiberium, & inter alios Chilpericum Francorum Regem officij præſtitiſſe Gregorius narrat e; & quæ ab eodem dona acceperint reddenda Chilperico, idem recenſet.

His addimus quæ idem Gregorius Turonenſis de theſauro à Tiberio inuento ſic ſcribit: *Cum Tiberius multa de theſauris quos Iuſtinus aggregauit pauperibus erogaret, & Auguſta illum frequentius increparet, quod Rempublicam redegiſſet in paupertatem, dicens: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paruum tempus prodige diſpergis. Aiebat ille: Non deerit fiſco noſtro: tantum pauperes eleemoſynam accipiant, & captiui redimantur. Hic eſt enim magnus theſaurus, dicente Domino: Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de quo Deus dedit congregemus per pauperes in cælo, vt Dominus nobis augere dignetur in ſæculo. Et quia (vt diximus) Tiberius magnus & verus Chriſtianus erat, dum hilari diſtributione pauperibus opem præſtat, magis ac magis Dominus ei ſubminiſtrat. Nam deambulans per Palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua crux Dominica erat ſculpta; & ait: Cruce tua, Domine, frontem noſtram munimus & pectora, & ecce crucem ſub pedibus conculcamus. Et dicto citius iuſſit eam auferri. Defoſſaque tabula atque erecta, inueniunt ſubtus & aliam hoc ſignum habentem; nunciantesque iuſſit auferri: qua amota, reperiunt & tertiam, iuſſuque eius & hæc aufertur. qua ablata, inueniunt magnum theſaurum habentem ſupra mille auri centenaria; ſublatumque aurum pauperibus adhuc abundantius (vt conſueuerat) ſubminiſtrat, nec Dominus aliquid deeſſe ei permittebat pro bona voluntate ſua.*

VII. *Quid ei Dominus in poſterum tranſmiſerit, non omittam. Narſes ille Dux Italiæ cum in quadam ciuitate domum magnam haberet, in Italiam* * *cum multis theſauris egreſſus ad ſupradictam vrbem aduenit: ibique in domo ſua occultam ciſternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri argentique repoſuit: illique interfectis conſciis, vni tantummodò ſeni per iuramentum condita commendauit. Defunctoque Narſete hæc ſub terra latitabant. Cumque ſupradictus ſenex hunc iugiter eleemoſynas aſsidue cerneret, pergit ad eum, dicens: Si (inquit) mihi aliquid prodeſt, magnam rem tibi Cæſar edicam. Cui ille: Dic ait, quod volueris: proderis enim tibi, ſi quiddam nobis profuturum ſciens narraueris. Theſaurum (inquit) Narſetis reconditum habeo: quod in extremo vitæ poſitus celare non poſſum. Tunc Tiberius Cæſar gauiſus, mittit vſque ad locum pueros ſuos. Præcedente vero ſene hi ſequuntur attoniti: peruenientesque ad ciſternam, deopertamque ingrediuntur: in qua tantum aurum argentumque reperiunt, vt per multos dies vix euacuaretur à portantibus. Ex hoc ille amplius hilari erogatione diſpenſauit egenis.* hactenus Gregorius Turonenſis: eademque his de duob. ingentib. theſauris inuentis hiſtoria Miſcella g, Paulus diaconus h, & alii recentiores. Miramur tamen hiſtoriam ore Latinorum tantopere decantatam, nullum (quod inuenerim) ex Græcis auctoribus habere adſtipulatorem. Sed de his conſule, quæ ſuperius, cum de obitu Narſetis actum eſt, dicta ſunt. — DE NARSETIS THESAVRO INVENTO. — g Miſcel. lib. 17. — h Paul. diaco. de geſt. Longober. l. 3. c. & 6.

VIII. Quod ad res pontificias ſpectat, data reperitur à Pelagio Papa epiſtola ad omnes Epiſcopos, præcipue ad Campaniæ atque totius Italiæ ſacerdotes. Quod enim bello vigente Longobardorum, quo vniuerſa flagrabat Italia, cultus Epiſcopis deferri ſolitus nonnihil diminutus eſſe videretur, ex quo quàmplurima mala manarent, nempe vt qui minime ſuos reuererentur Antiſtites contemnentes perſonas, nequaquam parcerent bonis Eccleſiaſticis, perſuaſi nimirum bellorum tempore ſilere iura: hinc Pelagius Papa hoc ipſo anno Kalendis Decembris decretalem dedit epiſtolam de accuſationibus ac iudiciis Epiſcoporum. Euenire enim frequenter ſolet, vt cum Epiſcopi bona Eccleſiarum à laicis vſurpata repetere, atque ad vſum priſtinum vindicare ſtudent, in ſe illorum linguas prouocent, qui ne quod abſtulerunt, reddant, criminoſis primum omnium Epiſcopos accuſationibus impetunt. quæ omnia Pelagius ea edita conſtitutione correxit. Incipit vero epiſtola: *Sollicitudinem omnium Eccleſiarum iuxta Apoſtolum circumferentes, &c.*

IX. Hoc item anno, qui quartus Childeberti Regis, decimus vero octauus Gunthramni habetur, celebrata eſt prima Synodus Cabilonenſis in cauſa Sagittarii, & Salonii Epiſcoporum, vt Gregorius Turonenſis teſtatur his verbis i: *Anno quoque quarto Childeberti Regis, qui fuit decimus octauus Gunthramni & Chilperici Regum, apud Cabilonum ciuitatem Synodus facta eſt ex iuſſu Principis Gunthramni: diſcurſiſque diuerſis cauſis, contra Salonium & Sagittarium Epiſcopos iteratur vetus iudicium, obiiciunturque eis crimina; & non ſolum de adulteriis, verum etiam de homicidiis accuſantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari cenſentes Epiſcopi, illud eſt additum, vt conſtituerentur rei maieſtatis, & patriæ proditores, qua de cauſa ab Epiſcopatu diſiecti, in baſilicam B. Marcelli ſub cuſtodia detruduntur, ex qua per fugam lapſi, diſceſſerunt per diuerſa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij ſubrogati ſunt.* hæc Gregorius. — SYNODVS CABILONENSIS. — i Greg. Turon. hiſt. Franc. l. 5. c. 27.

X. Eodem anno Indictionis itidem decimæquintæ, Kalendis Nouembris, euocatione eiuſdem Guntheramni Francorum Regis in Gallia celebrata eſt prima Synodus Matiſconenſis, vt eius Acta k teſtantur in fine eiuſdem Concilii, licet illic numerus annorum ipſius Regis deprauatus habeatur, dum coacta dicitur Synodus anno duodecimo dicti Regis: nam ſi (vt illic legitur) decimaquinta Indictione eam Synodum celebratam habent ipſius Acta, non duodecimo ſed decimooctauo habitam eſſe, dicere oportet. Nec eſt, quod quis eam reuocet ad præcedentis Indictionis periodi itidem decimamquintam Indictionem; nam illis temporib. Nicetius præerat Eccleſiæ Lugdunenſi, hoc autem tempore & Indictione regebat eam Eccleſiam Priſcus, qui eidem Synodo ſubſcriptus reperitur. Ado Viennenſis huius Synodi cum meminit, hæc ait l: *Poſt Philippum Euantius vir ſanctus Epiſcopus Viennæ leuatus eſt. hic cum ſancto Priſco, & Artemio* — CONCILIVM MATISCON. — k Concil. Matiſcon. 1. Conc. — l Ado in Chron.

Senonico, & Remigio Bituricenſi, & cum aliis ſanctis Epiſcopis viginti capitula Eccleſiaſtica perfecte roborauit, quibus conſenſit * *quoque Syagrius Eduenſis Epiſcopus, vir ſumma ſanctitatis.* hæc Ado. Syagrius autem iſte, cuius meminit, haud pridem creatus fuit Epiſcopus Eduenſis; cuius ordinationi interfuiſſe S. Germanum Epiſcopum Pariſienſem, auctor eſt Fortunatus in ipſius Vita.

* conſedit

XI. Quod vero ad eiuſdem Synodi canones ſpectat: cum viginti in Concilio ſancitos canones Ado teſtetur, nonniſi decem & nouem reperiuntur, iidemque omnes ad morum emendationem, Eccleſiaſticamque diſciplinam ſpectantes, compluresvero ad Iudæorum petulantiam coercendam. Inter alia & illud etiam cauerunt Patres, ne ad ſæculare forum Epiſcoporum cauſæ traherentur. Sed & cum vetuerunt, *a* ne clerici ſæculari habitu incederent, vel armati: ad prauum illum vſum, qui factione dictorum Epiſcoporum Salonij & Sagittarij irrepſerat, reſpectum habuiſſe Patres videntur. Actum *b* ibidem de Quadrageſima dicta S. Martini ante Natalem Domini trium dierum in hebdomada ieiuniis obſeruanda: quo tempore canones publice recitari mandarunt. Sed accipe verba eiuſmodi Eccleſiaſticæ ſanctionis.

a Ead. Syn. can. 5.

b Ead. Syn. can. 9.

XII. DE IEIVNIIS QVÆ PRAECEDVNT NATALEM DOMINI.

Vt à feria ſancti Martini vſque ad Natalem Domini, ſecunda, quarta, & ſexta ſabbati ieiunetur, & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus canones legendos eſſe, ſpeciali definitione ſancimus, vt nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe. hæc Patres. Fuiſſe autem in Galliis huiuſmodi ieiunia primum inſtituta à S. Perpetuo Turonenſi Epiſcopo Gregorius eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes docet, vbi inter alia ieiunia *c A depoſitione* (inquit) *S. Martini vſque ad Natalem Domini terna in ſeptimana ieiunia.* Fuxit inde, vt nonnulli Fidelium ipſum integrum tempus Aduentus, quod Natalem Domini diem præcedit, ieiunio continuato tranſigerent. At de Synodo hactenus: iam ad ſequentis anni res geſtas tranſeamus.

c Greg. Turon. hiſt. lib. 10. c. 31.

IESV CHRISTI
Annus 583.

PELAGII PAP. II. Annus 6. TIBERII IMP. Annus 2.

I. STATVS REIP. A TIBERIO PROBE DISPONITVR.

SEquitur annus Chriſti quingenteſimus octogeſimus tertius, Indictionis primæ; quo Tiberius Imperator in ordinem redacto Iuſtiniano exercitus Duce ob conſpirationem initam cum Sophia, Mauritium in bello Perſico ſatis ſpectatum virum Magiſtrum militum creat, quieti Reipublicæ conſulturus: cognatione enim Iuſtiniani cum Iuſtino Auguſto intercedente, eidem regnandi parta cupido fuit: quæ vbi ſemel cor humanum inuaſerit, haud facile quibuſcumque remediis ab animo penitus extrahi poteſt, radicituſque conuelli, cum ſæpe receſa, vberiori germine, oborta occaſione, ſoleat pullulare. Sed cum tanta hæc nonniſi conſulto numine Tiberius ſic aggreſſus, omnia quam fœliciſſimum ſortita ſunt exitum: etenim bellum ciuile ipſo eſt eius ortu compreſſum, paxque vbique parta, atque cultus religionis viridem retinuit obſeruantiam; ex quibus factum eſt, vt ex bello Perſico, quam plures ſint relatæ victoriæ. Vtinam ſicut florentiſſimum extitit Imperij Tiberij tempus, ita fuiſſet & diuturnum.

II. Cum igitur (vt ex Euagrio dictum eſt) Mauritio cum præfectura Orientis bellum aduerſus Perſas à Tiberio Imper. creditum eſſet: fauente numine, aduerſus eos ſæpe bello decernens, diuina fultus ope ſemper egregias de illis victorias retulit: quæ cum haud facile breuitate perſtringi poſſint (res enim geſtas peculiari ſcriptione cum ſe ſcriptis proſecuturum Euagrius ſpem dederit; quod ea careamus, nec ſi præſtiterit, ſcimus) ex multis pauca dicemus, quæ idem auctor in Eccleſiaſtica digeſſit hiſtoria, vbi primum de Mauritij moribus eiuſmodi orationem inſtituit *d*:

d Euag. hiſt. lib. 5. c. 19. 20.

Vir erat Mauritius prudens, ingenioſus, in rebus quidem diligens, animo conſtans & ſtabilis, ipſa vitæ ratione & moribus compoſitus, beneque cultus: ventris etiam cupiditates ſic coercuit, vt non modo rebus neceſſariis & facile parabilibus, verum etiam aliis omnibus, quibus vita intemperans ſe inſolenter efferre ſolet, abſtinuerit: vulgus hominum non facile admiſit ad colloquium, neq; aures cuiuſque ſermonibus patefecit: quippe quiſciret alterum contemptum, alterum aſſentationem parere: raro ſe adeundi conceſſit poteſtatem, eamque nonniſi vehementer orantibus largitus eſt; aures ſermoni ſuperuacaneo obturauit, non cera (vt eſt apud Poetam) ſed ratione, vt illa pro claui exiſteret, quæ eas hominum ſermonibus commode tum aperiret, tum clauderet. Inſcitiam autem matrem audaciæ, quæ ei vicina & finitima eſt, ſic ab ſe depulit, vt in temeritate periculum, incunctatione ſecuritatem eſſe cenſeret: quippe fortitudo & prudentia, quæ in eius animo inſidebant, ſic ferebantur ad res gerendas, ſicut temporum momenta poſtulabant, habenaſque appetitionis ita direxerunt, vti vſus rerum requirebat: adeo vt in ea tum remittenda, tum intendenda modus quidem & moderatio conſeruaretur. Sed de hac re poſtea accuratius diſputabimus. Nam quam egregius quiſque ſit, & qualem naturam moreſque habeat, ex eius imperio conſiderandum eſt: quæ vna res hominem ſolet perſpicue, qualis ſit, oſtendere: quandoquidem cum libera ei ſit viuendi poteſtas, ea quæ ſunt in animi domicilio recondita, omnium oculis ſubiicit ad contemplandum. hæc de MAVRITII moribus. ſed pergit reliqua enarrare, cum ait: III. MAVRITIVS QVALIS.

Iſte Mauritius cum bellum in exteris regionibus gereret, ciuitates & arces Perſis accommodatiſſimas cepit, tantamque prædam inde euexit, vt inſulas, vrbes, agroſque diu ab hominibus deſertos captiuis, quos abduxerat, compleret: terramque, quæ ante cultura diu caruerat, iam ſedulo coli efficeret, atque adeo ex illis hominibus ingentem cogeret exercitum, qui contra alias gentes valide, viriliter & excelſo animo dimicarent: denique quamque familiam domeſticis miniſteriis impleret, quoniam captiui quam minimo comparari poterant. Porro autem idem Mauritius cum præſtantiſſimis quibuſque Perſarum, vtpote cum Tamocoſrhoe, & Adaarmane, qui copias ingentes ad bellum faciendum ducebant, præliis decertauit. Verum quomodo, quæſo, quoue tempore, & qua fortuna res iſta ab eo geſta ſint, vel alij litteris perſequantur, vel nos in alio opere ſeparato (præſertim cum in opere, quod in manibus eſt, aliarum rerum explicationem ſimus polliciti) fortaſſe exponemus. IV. RES PRÆCLARE GESTÆ A MAVRITIO DVCE.

Tantum tamen hoc loco dicam, Tamocoſrhoem in acie non exercitus Romani fortitudine, ſed ſola Ducis pietate & in Deum fide ceciſſe: Adaarmanem autem viribus in prælio profligatum, ac multis amiſſis copiis, verſum in fugam: idque cum non ſolum Alamundarus barbarorum Scenitarum Dux Mauritium propterea prodiderat, quod fluuium Euphratem trairere, & contra Scenitas barbaros, qui ex aduerſis partibus militabant, ei ſubſidio venire noluit (iſti enim Scenitæ ab aliis propter equorum velocitatem vinci non poſſunt, neque ſicubi intercluſi ſint, capi: ſed hoſtes, dum fuga ſit ipſis facienda, longe præuertunt) verum etiam Theodoricus Dux Scytharum, qui intra teli iactum conſiſtere non audebat, ſeſe cum ſuis illico fugæ mandauit. hæc ſummatim complexus eſt Euagrius de præliis Mauritij aduerſus Perſas, quæ hoc anno cœpta in ſequentes ſunt propagata: nequaquam enim eſſe potuit anni vnius opus intra aduerſus Perſas, tot diuerſis locis temporibuſque certamina, licet in Miſcella *e* omnia referantur anno ſequenti, tertia videlicet Tiberij Imperatoris: nos autem quæ certis ſingulorum annorum limitibus diſtingui non poſſunt, ſub ipſo eum ordine, quo narrari ſunt cœpta, collegimus. Sed & iis, quæ ſunt de eius reditu ſcripta, pariter coniungamus, ex quibus mirificus ipſius Mauritij religionis cultus, quo potiſſimum vicit hoſtes, cognoſcatur. V. VICTORIA MAVRITII DVCIS. *e Miſcell. anno 3. Tiber. Imp. lib. 17.*

Gregorius enim presbyter in Actis, quæ ſcripſit S. Theodori Sicæotæ, cuius fuit diſcipulus, hæc de reditu Mauritij ad Imperatorem ſcribit his verbis *f*: *Eo tempore piæ memoria Tiberius Imperio potiebatur: qui cum Mauritium ſibi à ſecretis Comitem feciſſet, miſit eum aduerſus Perſas: cumq; viciſſet illos, in vrbem ab Imp. reuocatus eſt. Hic igitur cum per Galatiam iter faceret, auditis, quæ de Chriſti ſeruo S. Theodoro cognomento Sicæota Archimandrita dicebantur, ad eum, qui* VI. *f Apud Sur. 22. Aprilis tom. 2.*

tunc

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN